

110 [=73] Crotone in arce GVALT.; ubi itur ad aediculam S. Dionysii NOLA.

L · LOLLIO · L · F · L · N · L · PR
 N · COR · LOLLIO · MAR
 CIANO · EQVO · PVBL ·
 ORNATO · PATRONO
 5 COL · OMNIBVS · HON
 FVNCTO · FVTIA · C · F
 LONGINA · MATER · FI
 LIO · PISSIMO · OB · CV
 IVS · STATVAE · DEDICA
 10 TIONEM · DECVRIONI
 BVS · AVGVSTALIBVS
 PVLANTIBVS · PO
 P VLO · VIRITIM · DI
 uisionem · DEDIT
 15 I · D · D · D

Contulit Kaibel. Marinus Sanutus f. 261; Gualterus n. 311 = 387 (inde Spon misc. p. 162; Fabretti 485, 161); Nola-Molisi p. 102 (inde Gud. ms. 795, 3 et per Zavarronium Mur. 1106, 6).

Cum consentiant fere Gualterus et Kaibel, duo alia exempla admodum corrupta spreui. — 1 PR/ Kaibel, PRO Gualt.; pro L·N·L·PRo N·COR Sanutus dat PRISCO. — 13 PVLO Gualt.

111 [=76] Crotone rep. in murorum novorum fundamentis fodiendis.

D · M · S
 IVLIAE · GRAMMAE
 VXORI · INCOMPARABILI
 SEX · IVLIVS · PRIMVS

Nola-Molisi p. 103 (inde Gud. ms. 795, 4, ed. 275, 14 et per Zavarronium Mur. 1355, 8). Versuum divisio mea est.

VII. PETELIA (Strongoli). Tribu Cornelia.

Petelia scriptura confirmata nummis, in quibus est Πετηλίων, et titulo n. 113 certae lectionis aetatisque bonae itemque altero reperto Atinae in Lucania (n. 338), denique auctorum meliorum libris optimis quibusque unice vera est; Petilia autem quod lectum esse dicitur in fistula n. 115, legiturque apud Valerium Maximum 6, 6, ext. 2, Plinium h. n. 3, 10, 96, Solinum 2, 10 et fortasse alibi quoque, omnino corruptum est. Peteliam antiquam oppidum esse id quod nunc dicitur Strongoli tituli nomen illud enuntiantes n. 113. 115 dudum docuerunt, quibuscum itineraria (p. 1) reliquaue testimonia plane conveniunt. Petelia quamquam fertur a Philocteta condita esse (Vergilius Aen. 3, 402 cum schol.; Strab. 6, 4, 3 p. 254; Solinus 2, 10), Bruttiorum magis fuit quam Graecorum, cum et nummis Graecae aetatis destituta sit et a Livio (23, 20) aperte Bruttiiis tribuatur. Innotuit inde maxime, quod cum post pugnam Cannensem Bruttii reliqui ad Hannibalem se transferrent, Petelini soli Bruttiorum in fide manserunt nec nisi post diuturnam obsidionem ultima fame coacti Poenis se dederunt (Polyb. 7, 4, 3; Livius 23, 20. 30; Frontinus strat. 4, 5, 18; Appianus Hann. 29; Valerius Max. 6, 6, ext. 2; Petronius 144; Silius 12, 431), qui deinde sibi eam tenuerunt veteribus civibus expulsis (Appian. Hann. 57. 60; Liv. 27, 26). Hos finito bello Romani collectos reduxerunt (Appian. Hann. 29: τούτους διεσπασμένους οἱ Ῥωμαῖοι σπουδῆ συνήγον καὶ γενομένους ἐς ἑκτακοσίους κατήγαγον τε καὶ συνήκισαν μετὰ τόνδε τὸν πόλεμον αὐθις ἐς τὴν πατρίδα ἀγάμενοι τῆς τε περὶ σφᾶς εὐνοίας καὶ τοῦ παραδόξου τῆς προθυμίας), quo tempore etiam nummos videntur

formavisse habentes pretii notas ad usum Romanum (Sambon monn. de la presqu'île Ital. p. 347), ultimi fortasse harum partium iure monetae suae cudendae usi. Parva Petelia, ut ait Vergilius l. c., raro commemoratur (de pugna ad eam commissa bello Spartacio Plutarchus scribit Crass. 11), floruit tamen aliquatenus; certe Strabo l. c.: Πετηλία μητρόπολις νομιζέται τῶν Λευκανῶν¹⁾ καὶ συνοικεῖται μέχρι νῦν ἱκανῶς. Metropolis fortasse dicitur Bruttiorum Lucanorumque indigenarum ratione non habita Graecorum huius orae oppidorum. Inscriptiones tamen Vergilii magis quam Strabonis testimonium confirmant; rarae enim sunt tam Graecae (C. I. Gr. n. 4 summae vetustatis et n. 5772) quam Latinae, sed quae plura nos doceant scitu non indigna. Confirmatur inde id, quod ex rerum ordine conici potuit, Petelinos civitatem Romanam adeptos bello sociali municipii formam induisse (n. 113. 114) recti a IIIviris (n. 113. 114), aedilibus, quaestoribus pecuniae publicae. Quattuorviratus autem lege Cornelia in his solis titulis adhuc repertus ita, ut locum obtineat soliti quattuorviratus iure dicundo, quo pertineat non hoc loco exquirendum est, cum lex ea Cornelia, pariter atque similes Petronia et Iulia municipalis, non tam certam aliquam civitatem ordinarint, quam in universum caverint de re municipali (v. vol. I p. 124).

1) Lucanos quod hic Strabo nominat, scilicet solito apud antiquiores auctores more Bruttios ignorans, accedente praeterea titulo n. 338 a Petelinis dedicato homini Atinati, Antoninio ansam dedit ad comminiscendam Peteliam alteram Lucanam, quam collocat ibi fere ubi vere Velia fuit. Vide p. 20.

112 Strongoli in un muro della torre del pubblico orologio.

IMP · NERVAE · TRAIANO
 CAES · AVG · GERM · DACIC

Q · FIDVBIVS · ALCIMVS · OB · HONOR · AVG
 QVEM PRIMVS OMNIVM · POST · K AVG
 5 A SENATV · CONSPIRANTE · POPVLO · ACCI
 PERE MERVIT · BISELLIVM · EX · D · D
 HIC · OB EVNDEM HONOREM DEC HS IIII
 AVG HS · II · POPVLO VIRIT HS I DIDIT
 ISDEM · L D D D
 10 ET HOC AMPLIVS IM
 IMP · CAESARI TRAIANO AV

Descriptus Henzen et ego ex ectypo chartaceo suppeditato a Nicolao Volante; contulit Kaibel ad archetypum. Ab eodem Volantio acceptam ed. Pistoia Petelia (Catanzari 1867) p. 54.

Imp(eratori) Nervae Traiano Caes(ari) Aug(usto) Germ(anico) Dacic(o) Q. Fidubius Alcimus ob honor(em) Aug(ustalitat)is, quem primus omnium post k. Aug. a senatu conspirante populo accipere meruit, bisellium ex d(ecreto) d(ecurionum). Hic ob eundem honorem dec(urionibus sestertios quaternos), Aug(ustalibus sestertios binos), populo virit(im) sestertios singulos d(ē)dit. Isdem l(oco) d(ato) d(ecreto) d(ecurionum) et hoc amplius im(aginem) imp. Caesari Traiano Aug(usto) posuit. Hinc intellegitur Augustales a decurionibus creari solitos esse k. Augustis; hic enim Alcimus primus Peteliae extra ordinem post legitimum diem creatus est. Videtur autem Alcimus ad populum remunerandum iussu decurionum bisellium imperatori posuisse, puta in theatro, item postea imaginem eiusdem adiecisse. Cave enim, bisellium hoc referas ad ipsum Augustalem.